



1711

in Nürnberg

1711



Hh. 16.



TERTIA SAECULARIA
GYMNASII REGII NORIMBERGENSIS

D. XXIII. MAII MDCCCXXVI

RITE CELEBRANDA

COLLEGII PROFESSORUM NOMINE

INDICIT

D. ERNESTUS GUILIELMUS FABRI,
GYMNASII PROFESSOR.



PRAEMITTITUR

MEMORIA IOANNIS ERNESTI FABRI, IN ACADEMIA ERLANGENSI P. P. O.

NORIMBERGAE,

TYPIS FRIDERICI CAMPE.

1826.

D

58

3

41



De geographiae vi atque praestantia tam multi sunt, qui scripserint tamque egregii viri, ut nihil opus sit demonstrare, quam fructuosam ineant et laudabilem operam, qui de ea disciplina bene merentur. Eorum cum duo potissimum sint genera, quod alteri id agunt, ut regiones terrae parum cognitae adeundo perscrutentur occulta, lumen afferant obscuris, incerta aut confirment aut refellant, alteri, quae illi dispersa reliquerunt, colligunt et disciplinam exstruendo ad fructum conferunt communem: ut illorum apud exteras gentes, ita horum in Germania maiorem esse et numerum et laudem facile repereris. Sed inter omnes maxime hac laude excellit A. F. Büschingius, qui vir primus, quae rudia ante ipsum iacebant et incondita, ea et congegisset accuratissime, et subtiliter ad artis formam redegit, quo factum est, ut merito multorum laudibus celebratus sit et parens geographiae dictus. Proxime autem ac secundum illum cum apud nos vix quisquam, qui quidem eiusdem esset aetatis, aut maius studium ad eas literas attulerit, aut in eo genere domi ac foris maiore floruerit laude, quam qui nuper ereptus est rebus humanis Joannes Ernestus Fabri, non dubito, quin utilem gratumque laborem suscepturus sim, si de eo viro scribere laudesque eius grata memoria repetere coner.

Iam vero si quis quaerat ex me, cur ad hanc laudandi virum egregia laude dignum provinciam, quae ad laudatum potius pertineat hominem, ego potissimum accesserim: nonne aut plus nimio tribuam mihi, aut, quod melius facturi sint alii, cum ipso argumenti, in quo versetur oratio mea, incommodo illis praeripiam, non diu, quid excusem, dubius haerebo. Nam ut taceam, et pietatis esse, servare, quocumque possis modo, et propagare eorum memoriam hominum, quorum plurima in te summaque exstiterint beneficia, qualia patris amantissimi sunt in filium, et doloris, libenter ac saepe versari in recensendis contemplandisque eorum virtutibus, ipsum me movit ac compulit ad scribendum aliorum, quod de viri optimi obitu fuit, silentium. Abolevit enim aetas nostra, veterum illa institutorum inimica, novitatis plus quam satis est consecatrix, cum alia multa, quae saluberrimo maiorum consilio recepta et conservata, nunc prohi dolor! amissa desideramus, tum pium illum utilemque morem in Academiis nostris vigentem commendandi, cum ex vita exc-

serint, hominum Academicorum memoriam. Itaque cum non timerem, ne gravem aliquam et ornatam patris b. laudationem praepediret exilis mea et parum polita luminibusque distincta scriptio, meum esse duxi, pietati ac dolori satisfacere, atque ita uti oblata hoc tempore scribendi aliquid, quod ad literas pertineret, opportunitate, ut, quantum quidem in me esset, descriptam proponerem atque expressam imaginem viri, quem praeclaris animi atque ingenii virtutibus conspectum et ornatum, non domesticus tantum amicorumque et patriae, verum etiam communis literarum dolor mortuum deplorat ac luget.

Ipsis autem diebus, qui iamiam instant scholae nostrae repetenda veteris memoriae recordatione illustres, non inepte me prolusurum putavi, si memoriam revocarem eius, qui docendo scribendoque de institutione iuvenili optime meruit, qui literarum studia vitae habuit aequalia, denique cuius ea fuit vita, quam intuentes et acris adolescentes ingenii erigantur ut ad laudis aemulationem, ita ad fortitudinem et constantiam, et, si qui sunt molles infirmique, id quod non minus in lucro deputamus, a literis deterreantur.

Natus est Joannes Ernestus Fabri Olsnae, Silesiae oppido, sed Brunsvicensis ditionis, anno superioris seculi quinto et quinquagesimo, sexto decimo m. Julii die. Patrem habuit Joannem Timotheum, Gymnasii Olsnensis Prorectorem, virum accurata et varia doctrina excellentem. Incidit prima eius aetas in varia ac turbulenta belli illius per septem annos ducti tempora, quorum iniuriis et ipsa paterna domus non mansit illaesa. Capta est enim graviterque vexata non semel ab hostium, Russorum aliorumque, copiis Olsna, quaeque tum intra domesticos parietes evenerunt iniqua et acerba, meliora tamen plerumque, quam pro tanta rerum perturbatione et clade, tam moverunt eum graviter tamque firmiter inhaeserunt in animo, ut multo aetate provector atque etiam senex in revocandis iis exponendisque commoraretur. Literarum elegantiorum initia hausit cum ab aliis Gymnasii Olsnensis magistris, tum a patre, cuius egregiam in instituendis conformandisque filiorum, quos habebat duos, ingenii sollertiam et diligentiam gratissimo animo vehementer praedicabat. Non satis habuit optimus ille vir ad veteris humanitatis, mathematicae et linguarum quarundam recentiorum cognitionem instituisse puerorum animos, sed qui non invita Minerva in deliciis haberet artem musicam, ad eius quoque artis facultatem ita erudiebat exercebatque filios, ut non uno excelleret instrumento musico iucundissimeque cum patre temporis subsecivi otium exhilararent concentuum musicorum suavitatibus.

Ille autem cum acris esset vegetique ingenii summaeque in pertractandis iis, quae cognoscenda sibi sumserat, assiduitatis et constantiae, ita in bonis literis profecit itaque magistrorum non fefellit spem, sed explevit et vicit, ut non tantum solutae orationis in utraque lingua egregiam sibi compararet facultatem, sed etiam versus funderet graecos latinosque mira ingenii elegantia dignusque, qui ipse discipulorum studia regenda susciperet, iudicaretur. Quid? quod iam tum in vico quodam suburbano e sacra cathedra concionatus est semel atque iterum magna audientium approbatione. Retinebatur tamen diutius inter Gymnasii cives, non alia de causa, quam quod pater, qui, erat enim in munere scholastico constitutus, in rerum tenuitate versabatur, non videret, qua ratione, nisi aliena liberalitate adiuvaretur, toleraret impensam in filios gravioribus disciplinis studentes faciendam. Quo factum, ut, cum exspectaret publicam aut privatam beneficentiam, qua sustentatus persequeretur literarum studia in ludo Olsnensi inchoata, anno demum superioris seculi LXXVI, qui erat aetatis vicesimus primus, Halam Saxoniam transiret Theologiae operam daturus. Solebant tum, qui eam literarum sedem peterent Silesii, multi convenire Vratislaviam, unde quasi facto agmine ad latiores illos uberiorisque literarum campos excurrerent. Ex numero eorum, quibuscum hoc iter fecit Fabri, unus erat, qui ad delectandos sociorum animos scenico, quo praestabat, artificio mirum quantum conferret, nomine Fleck, quem postea animi quodam aestu a literis ad scenam traductum ita nobilitaverunt cothurni, ut inter tragicos Germaniae actores, dum in vivis erat, facile haberetur princeps.

Halae paene totum se dabat literarum honorum et sacrarum studio adeoque ingenium et industriam probavit, ut vixdum interiectis ab adventu eius sex mensibus sodalis Seminarii theologici ac paulo post senior scriberetur. Progressuum autem in illis factorum iam biennio post exhibuit specimen scripto atque edito libello de *ἀποδοσις*. Sectatus est praeter Eberhardum, Thunmannum, Goldhagenium, Noesseltum, in primis in humanitatis disciplina Schützius, in divina doctrina Semlerum, quorum utriusque viri ita in se ingenii bonitate et studii alacritate converterat sibi que conciliaverat animum, ut dignum haberent, quam in familiaritatem quotidianamque fere consuetudinem reciperent. Neque praeterire licet, quanta exinde eum complexi fuerint humanitate et comitate, ut currentem incitarint, ut discendi ardorem rexerint iuverintque consilio, institutione, apparatu literario, quod quidem, quoties in memoriam redibat illius temporis, unice solebat laudare et in summis referre bonis, quae sibi divino beneficio obtigissent. Declaravit postea Schützius, quo tem-

porè Jenensem literarum elegantiorum professionem ornabat, et alia ratione eximiam, qua eum fovebat, benevolentiam. Illo enim auctore anno MDCCLXXXI. ordo philosophicus Jenensis honoris causa summos ad eum detulit philosophiae honores.

Verum quo magis animum appellebat ad literas sacras, magisque progrediebatur illarum cognitione, eo magis fiebat, ut non ipsarum, quas quidem semper plurimi faciebat fierique ab omnibus volebat, sed concertationum, quae tum, Bahrdtio maxime signum tollente, multae de illis erant et assiduae, quarumque impetum ipse, a cuius ore pendebat, Semlerus vix sustineret, sed omnino totius, quae iam vigebat proque certissima a plurimis iactabatur, rationis theologicae fastidio quodam ac taedio caperetur. Ita cum iam abhorreret animus a theologia illa vitae non adiutrice, sed perturbatrice, iamque aditum sibi munivisset ad alias literarum laudes et scripto illo, quem supra commemoravi, libello, et habitis de antiquitate scholis, accesserunt alia quoque, quae iamiam dubii et labantis etiam magis flecterent consilium et ad illud doctrinae genus, cui naturà debebatur, avocarent. Aperuerant paulo ante Semlerus et Schützius ludum et literis erudiendae puerili aetati, et educandae conformandaeque ad omnem humanitatem accommodatum adiunxerantque seminario theologico, quo haberent eius sodales, ubi docendi idoneam facultatem et parerent sibi et partem confirmarent. Circumspiciunt, ad quem scholas deferrent super geographia habendas dignusque praeter alios videtur Fabri, qui istam provinciam exciperet. Invitatus non recusat conditionem, quippe qui iam puer eam disciplinam adamasset docendoque alios ad accuratiorem eius cognitionem progredi, ut qui maxime, cuperet. Iam simulatque contulit animum ad eas partes agendas, non ille, ut unus de multis, rem leviter et quasi praetervolans attingebat, sed qui eo esset ingenio, ut, ad quodcunque literarum accessisset genus, illud et sua sibi ratione sumeret tractandum, et, si posset, cum pulvisculo exhauriret, non modo viam sibi aperiebat docendi novam, quam postea peculiari commentatione illustratam commendavit, verum etiam, si quid praetermissum esset adhuc minusque excussum, ad reconditos, unde uberior eius rei notitia manaret, fontes penetrabat. Cumque accederent alia non minora in docendo bona, mira animi alacritas, mira adversus disciplinae suae alumnos comitas, eademque severitatis auxilio saluberrime temperata, accidit, ut non discentium tantum, sed etiam, si qui alii aut docentem audirent, aut ipsi in discipulorum progressus inquirerent, eorum omnium in admirationem raperentur animi. Ipse autem eius disciplinae ita allectus est et delinitus suavitatibus, ut mox non dubitaret eam praeter ceteras eligere, in qua ingenii domicilium

poneret. Eius consilii cum certiore fecisset patrem, (decessit is paulo post anno MDCCLXXX.), rem illi non probavit, qui quasi animo praesagiens auguraretur, quantum inde accepturus esset incommodi, neque recedere eum vellet a trita certaue theologiae via. Verum ea est optimi cuiusque ingenii ratio, ut, simulac delatum est ad id doctrinae genus, quod tanquam suum agnoscat et vindicet, non possit, quin nihil iam vitae usum, nihil dehortantium voces curans toto pectore omnique virium contentione sese ei addicat.

Quare Schützius, qui tum una cum Semlero in eiusdem maxime scholae, de qua modo diximus, usum opus instituerat edere spissum illud sane et operosum, sed fructuosissimum idem tironibus futurum, utpote quo singularum, quae ad informandos puerorum animos pertinent, disciplinarum initia apte et accommodata ad eius aetatis captum traderentur *), Schützius, inquam, eum hortatus est, ut in societatem veniret eius laboris, quaeque geographiam spectarent partes, eas sua opera explicatas daret. Neque ille quod ad eum deferebatur refugiebat. Nam et laudi sibi putabat fore coisse cum summis viris consilii societatem, et satis iam valebat eruditionis copiis, ut non impar sibi esse suscipiendo ei labori videretur. Itaque mirifico animi ardore opus illud aggreditur, quod postea in quatuor volumina partitum Halae prodit, et ita est probatum, ut et apud nos ter typis excusum sit et gallice redditum. Novam ille eo libro eamque optimam monstravit scholarum geographicarum rationem, quam postea secuti sunt et alii, qui ad similem laudem contenderunt. Nam cum intelligeret, ut in aliis disciplinis, ita in illa, nihil admodum ad puerilem institutionem profici, si quis non adhibito accommodatoque ad aetatum dissimilitudinem delectu eadem, quae provectoribus, offerret iis, qui in tirociniis haerent, opus illud divisit in partes duas, quarum una eaque minore viam muniret tironibus, altera, quae provectorum interesset scire, uberius exponeret. Ac si admireris in illa sollertiam deligendi aptissima quaeque, quae non erudirent solum teneros animos, verum etiam amorem iis iniicerent ipsius doctrinae, quae tradebatur, nescio an in hac admirabilior etiam videatur uberrima eruditionis copia, qua singulas orbis terrarum partes illustravit. Neque enim, dummodo aliquid accederet ad doctrinae perfectionem, aut laboris molestias, aut rei familiaris difficultates curabat: illam solam spectare, illam dies noctesque sectari, alia parvi aut nihili ducere. Itaque dum in hoc libro haeret, duo literarum causa sus-

*) Neues Elementarwerk für die niedern Klassen lateinischer Schulen und Gymnasien. Halle 1780 — 87.

cepit itinera, ex quibus egregium deportavit fructum auctam eruditionis vim et praestantissimorum virorum benevolentiam. Primum Gottingam se contulit mensem unum alterumve ibi commoraturus, quod ut faceret, gravissimae eum moverunt causae. Vidit, tantam librorum supellectilem, quantam desiderarent studia geographica, quaeque cum eis coniungeret historica, nusquam in Germania praeterquam Gottingae reperiri, multaque, nisi ex largissimis, quos bibliotheca illa offerret, fontibus hausisset, librorum penuria ad perfectionem sibi defutura. Venit igitur Gottingam eo consilio, ut brevissimo tempore quam plurimos, qui coepta sua adiuverent, libros legeret et exciperet simulque oblata ibi contrahendae cum multis viris egregiis notitiae opportunitate uteretur. Quod utrumque ita ei contigit, non modo ut nunquam eum poenituerit illius peregrinationis, verum etiam ut usque ad extremum vitae vix quidquam et repeteret libentius memoria, quam tempus illud Gottingae transactum, et ardentius concupisceret, quam ut facultas sibi daretur redeundi Gottingam iterumque quasi heluandi amplissimis illis librorum opibus. Egregia enim facilitate et comitate bibliothecae praefecti, quidquid in promptu esset, praebebant, atque, si quid desideraret, quod non haberet bibliotheca, id quoque, dummodo liceret per temporis, quo ibi versabatur, angustias curabant comparandum. Praeterea multorum virorum, qui in suo quisque literarum genere regnabant, benevolentiam Gottingae sibi conciliavit, Blumenbachii, Gattereri, Schlözeri, Kaestneri, Lichtenbergii, Beckmanni. Alterum iter suscepit Berolinum allectus inprimis Büschingii, qui tum familiam ducebat in geographia, fama atque virtutibus. Cuius viri adspectu et sermonibus frui cum vehementissime cuperet, simulac pervenit Berolinum, ad eum advolavit comiterque exceptus, quippe qui iam antea de meliore, ut ait ille, nota esset ei commendatus, ita brevi eum sibi devinxit, ut non modo eum hortaretur magnopere Büschingius, fortiter, quae agenda suscepisset, persequeretur, sed etiam postea saepe literis eum salutaret ac, dum vivebat, docendo monendoque ei prodesse non desisteret *). Vidit enim vir ille egregius, qui alias, si quis imparatus ab eruditionis exquisitae subsidiis ad geographiam accederet, non

*) Facere non possum, quin ex literis eius XI. m. Martii MDCCLXXXIII, datis offeram nonnulla, quae, ne quid detrahatur orationi, latine non reddam: Dafs Sie viele Mühe und saure Arbeit haben, ist kein Unglück, und ich wünsche, dafs Sie sich dadurch nicht niederschlagen lassen. Ich habe den grofsen Nutzen davon selbst erfahren. Mein sel. Vater war ein gelehrter Jurist, konnte aber nichts auf mich wenden. Ich bin 1743 nach Halle gekommen, in der Absicht, in einem Jahre so viel zu lernen, als Andere in vier, weil ich kaum ein Jahr daselbst bleiben zu können glaubte. Ich hatte weder einen einzigen gewissen Thaler von den Meinigen, auf den ich rechnen konnte, noch einen Efstisch, noch ein Stipendium, kam mit

mollī brachio solebat eum obiurgare, vidit igitur, id quod posthac saepe est professus, non esse eum e genere illorum, qui facilem quaerentes laudis aditum in alienam possessionem quasi vacuum involarent alienaque venditarent pro suis, quos quidem in geographia reperias plurimos, sed eo ingenio, iis variae eruditionis subsidiis, ea denique industria excellentem, ut maxime videretur idoneus, qui, quae ipse inchoata relicturus esset, cum egregio eius disciplinae, quam in deliciis haberet, incremento perficeret. Ita factum, ut illa congressio utriusque iucunda spem alteri ostenderet eam, quae solet esse magni animi hominibus gratissima, alterum ad retinendam ac, si fieri posset, augendam studiorum assiduitatem erigeret mirifice et confirmaret. Eodem valebat familiaritas et consuetudo Jo. Reinoldi Forsteri, qui vir tam itinere illo, quod cum Cookio fecit, quam praeclaris in varia literarum generis meritis immortalitati commendatus Halae tum historiae naturalis professionem singulari cum laude tenebat. Qui ut primum eum in amicitiam accepit, ex larga eruditionis geographicae penu vastis illis itineribus collecta valde profuit eius studiis, atque etiam oblati ex rerum naturalium museo, quod ex omnibus orbis partibus congererat amplissimum, compluribus donis homini in geographia versanti utilibus pariter atque iucundis, quam vellet eius causa, indicavit.

Tali modo virorum in literis principum et confirmatus vocibus et suaviter fruens grata benevolentia, nihil antiquius habuit, quam ut, quae illi de se sperarent praeclara, ea non vana fuisse, sed potius minora viribus suis studio nunquam remisso ostenderet. Ac profecto si quis revocaverit ad animum, quam multa illo tempore quanta diligentia scripserit, cum et scholas haberet continuas, et multis praeterea negotiis, de quibus infra dicemus, teneretur districtus, facere non poterit, quin summum ac singulare eius fuisse studium profiteatur. Pleraque enim, ex quibus nominis celebritatem est consecutus, iam eo tempore, cum Hala eum teneret, aut absolvit, aut certe inchoavit, quae omnia cum hic commemorare longum sit, cumque alio loco colligere statuerimus, pauca tantum, quae maximi nobis viden-

60 Pf. Gepaeck hin, fieng an, täglich 14 Stunden zu arbeiten, welches ich noch thue, blieb bis 1748 in Halle, und reiste mit 12 Ctr. Bücher wieder weg. Oft hungrig zu Bette zu gehen, kam mir nicht schwer an, aber zu Bette zu gehen, ohne ein Buch, wenigstens einige Disputationen, gekauft zu haben, das wurde mir schwer. Es kann Ihnen nicht so sauer werden, als mir, und dennoch bin ich immer fröhlichen Gemüthes gewesen, weil ich Gottes Beistand und Fürsorge verspürte. Und in diesem Zustande blieb ich bis in's 31ste Jahr mit großer Zufriedenheit, denn so alt war ich, als ich das erste Amt annahm, und doch war ich noch so glücklich, daß ich meiner Mutter und meinen Geschwistern etwas geben konnte.“ En praeclarum, quod intueantur adolescentes adversa fortuna conflictantes, exemplum!

tur momenti, extremis, ut aiunt, digitis attingemus. Deerant illo tempore cum magno scholarum publicarum incommodo libri idonei, ad quorum rationem sese applicarent, quicumque in Gymnasiis et Academiis adolescentibus literarum studiosis viam ad geographiae studia praeirent: quem enim ipse paulo ante simili consilio conscripserat librum, is non omnium scholarum conveniebat usui, maximeque earum, in quibus, quod fere fieri solet, pauculae tantum horae tribuerentur geographiae, quo factum est, ut multi eum adirent rogarentque, illarum quoque rationibus suam operam ne denegaret.

His rebus permotus duos brevi intervallo edidit libros, unum, quo commodis inserviret eorum, qui leviter tantum geographiae scientia tincti essent, velut primis lineis designata exhibens potiora eius disciplinae capita *): alterum, quem ad manus habere vellet ipsos praeceptores eosque omnes, qui satis valerent eruditione, nullis ut docentium adminiculis, sed, ut dicitur, Marte suo gradum facerent ad interiorem eius disciplinae notitiam **) Qui libri quam suo prodierint tempore, quam probati fuerint et ab eruditionis accuratae ubertate, et a delectus cura, et a rerum aptissima compositione, non est meum, hoc loco multis exponere actaque agerem confirmando, quae optime iam pridem demonstravit dies, rerum omnium, quotquot sunt, locupletissimus existimator ac iudex: toties enim repetiti sunt novis editionibus, idque tum iusta honestissimorum librariorum cura, tum per latrocinia hominum turpis quaestus appetentium, toties conversi in linguas peregrinas, danicam, batavam, gallicam, russicam, suevicam, quoties id genus neque antea libri ulli, neque, dum ille vivebat, postea. Non minor autem, ac nescio an maxima, ei manavit laus ab alio libro, quod paulo post scribere aggressus tanquam amplissimum scientiae geographicae horreum omnium ordinum hominibus destinavit ***), ingentis opus eruditionis et industriae, quinque inusitatae magnitudinis voluminibus (plura enim quo minus absolventur, obstiterunt bellorum turbae assiduis rerum conversionibus iunctae, obstiterunt domesticae tricae, quibus impediabatur multis, denique alia, quae non ipsius culpa, sed aliorum contracta, quorum vel maxime interesse debebat, ne quid obstaret eius operis absolutioni, piget hic enarrare taedetque), sed quinque vasti ambitus voluminibus prooemium, quod est de universa geographia, et maiorem Germaniae partem complectens, verum haec tam

*) Kurzer Abrifs der Geographie. 15te Auflage. 1817.

**) Handbuch der Geographie. 10te Aufl. 1819.

***) Geographie für alle Stände.

accurate et diligenter tractata, ut non dubitem affirmare, neminem antea in iisdem rebus elaborasse, quem non satis longo post se intervallo reliquerit.

His et aliis libris editis cum nomen suum commendasset civitati literatae idemque docendi laude floreret egregia, fieri non potuit, quin evolaret fama eius et latius vagaretur multique arctiore eum sibi vinculo adstringere cuperent. Itaque et complurium scholarum subinde ei offerebatur gubernatio, et vocatus est ad obtinendum locum ordinarium in Academia Petropolitana tum forte vacantem. Verum illas stationes ne adire vellet, factum est muneris academici dulcedine, quae diutius permulserat animum, quam ut nulladum vitae necessitate coactus ei renuntiaret, hanc non accepit, quod nisi eximia praemiorum spe proposita vertere patrium solum recusabat: quare quas condiciones tulit, eae Academiae Curatoribus non sunt probatae. Magis arrisit ei alia conditio, cum anno MDCCLXXXVI ad suscipiendam in Academia Jenensi extraordinariam professionem invitaretur. Nam etsi nihil adiunctum erat ei loco stipendii, videbatur tamen id brevi consecuturum; at Halae, ubi praeter ipsum complures viri ingenio doctrinaque excellentes iisdemque aetate proveciores eandem, quam ipse, ambirent professionem, et nulla tum ostendebatur spes impetrandae cathedrae, neque quod ex convictus pblici Inspectione, quam inde ab anno LXXXI tenebat, capiebat praemium, tanti erat, ut ideo illam conditionem repudiandam putaret. Itaque eo, quem supra diximus, anno relicta Hala Jenam fortunarum sedem transtulit.

Attulerat ei Halensis illa undecim annorum commoratio plurimas iucunditates, quas, dum vita fruebatur, libentissime cogitatione relegebat et celebrabat sermonibus. Nam praeterquam quod eas urbes, quas prae aliis studiorum nostrorum altrices fuisse iudicamus, solemus pietatis quodam sensu amare: praeterea alia agitabat animo, quare illam inprimis urbem caram acceptamque haberet. Usus erat ibi complures annos iucundissimo contubernio fratris, qui postea et ipse tam libris aliquot editis, quam factitandae artis medicae sollertia inclaruit, quem unice amabat, floruerat gratia et familiaritate virorum excellentium cum alia, tum literarum laude, praeter eos, de quibus supra diximus, F. A. Wolfii, A. H. Niemeyeri, J. Sam. Erschii, qui, cum ipse disciplina eius usus esset, multorum deinde laborum iucundissimus ei exstitit socius, F. W. Leyseri, aliorum, quorum non paucos ei conciliaverat societas Halensis naturae scrutatorum, cui per annos sex fuerat ab epistolis: denique ipsa temporis, quod ibi transegit, diuturnitate effectum erat, ut illi urbi tanquam alteri patriae multis necessitudinibus obstringeretur.



Jenae et libris, quos in manibus habebat, perficiendis operam dedit, et scholas de geographia pariter atque historia habuit magna cum laude. Inprimis eas, in quibus exponebat de rebus, quae recens accidissent memorabiles, ingens excepit plausus. Erat enim et iucundus narrator, et miro artificio utile miscebat dulci, qui egregia cum rerum historiae, tum geographiae scientia florens novissima confligeret cum veteribus, quid verum, quid falsum, facillime diiudicaret, quae eventura essent, non semel sagacissime coniectura assequeretur, denique cum multis multarum gentium, europaeorum iuxta atque aliarum, hominibus eruditissimis epistolarum commercio coniunctus, quae in aliqua orbis terrae parte evenissent insignia, celerime resciret. Ita cum mox caram ei faceret cathedram Jenensem ipse audientium plausus atque amor, alio quoque vinculo factum est, ut arctius etiam atque iucundius novae stationi obligaretur. Anno enim MDCCLXXXVII matrimonium iniiit cum Susanna Charlotta, Jo. Georgii Eccardi, qui Isenaci in senatu sacro praesidis locum tenuerat, idemque fuerat ex intimis serenissimi Vinariae ducis, filia, ex qua quatuor suscepit filios, quorum tres reliquit superstites. Profecto, si quod aliud, id coniugium secunda alite initum dicas, non quo nullis petatum sit fortunae telis et iniuriis, contra enim accidit, sed quod ille usque ad extremum spiritum concordissime vixit cum uxore et amantissime, eamque expertus est talem, quae, quamquam satis lautae rei a teneris erat adsueta, neque molliter succumberet rerum adversarum acerbitatibus, neque, quod fere evenire solet, morositatem inde quandam traheret, sed firmaret animum ad patientiam et amara temperaret comitatus suavis condimentis.

Septem amplius annos Jenae transegit. Erat autem tum illa urbs, quamque vicinam habet Vinariam, praeter ceteras Germaniae insignis ad memoriam et laudem. Ibi enim cum sedem sibi constituissent quatuor viri illi, qui hac aetate summi habentur Musarum antistites, Goethius, Wielandus, Herderus, Schillerus, relicto Helicone deas illas crederes eo concessisse, ubi habitarent. Contigit ei, ut horum quoque virorum in notitiam perveniret saepeque congressu eorum et sermonibus frueretur. Praeterea amice vivebat cum multis viris egregiis: revocabat veterem consuetudinem Schützi, utebatur familiariter C. F. Walchio, J. C. Starkio, J. C. Lodero, J. H. Voigtio, J. Bertuchio aliisque, quos longum est commemorare omnes. Et poterant haec sane videri ad vitae iucunditatem eximia et praeclara, neque vero procedente tempore deerat, quare stationis eum Jenensis poeniteret. Septem anni abierant, per quod tempus, id quod nemo in dubium vocabat, et nominis famam

auxerat, et scholas habuerat eximia cum industria ac pari laude, necdum aut stipendii acceperat quidquam, aut in ordinaria professione erat constitutus, aut denique firmiore utebatur spe, fore, ut brevi eam impetraret. Itaque non ingratum ei accidit, quod anno MDCCXCIV Erlangam vocatus est ephemeridum Erlangensium curam suscepturus. Videbat enim, ea conditione accepta se vitae subsidiis facilius posse prospicere satisque sibi superfuturum temporis, quod vel scholis academicis daret, vel literarum studiis, ad quae nonnihil etiam adiumenti ex illo munere adiunctum iri speraret. Quare mense Julio eius anni Erlangam venit, ut illam personam sumeret, quam deinde decem prope annos tanta cum laude sustinuit, ut vix alio tempore vel latius spargerentur ephemerides illae, vel cupidius lectitarentur. Nimirum quascunque supra in simili re laudavimus eius virtutes, eadem tum mirifice eum iuvabant: accedebat autem animus veritatis amantissimus et intrepidus, ut multa, quae anxie celarent alii aut tecte et oblique significarent, libere et aperte diceret. Ac possem confirmare exemplis, istam animi magnitudinem eum nonnunquam egregia laude ornasse et ad res ipsas fuisse haud parvi momenti, ni ea me res longius ab incepto traheret.

Interea simul de literis optime merebat tum librorum scriptione, tum docendi diligentia, cum assidue ac strenue adolescentium ingenia multiplici imbueret scientia historica magnique ad eum fierent iuventutis studiosae concursus. Et scimus, non paucos, maximeque homines Silesios, Erlangam venisse, ut fruerentur eius doctrina atque consuetudine, quae nemini non liberalius instituto facillime patebat. Ipsos autem Academiae Curatores non fugiebat opera ab eo ad communem utilitatem egregie collata. Ei rei cum alia sunt indicio, tum epistolae complures a viro illustrissimo Principe Hardenbergio ad eum datae, quibus se non ignorare confirmat vir ille amplissimus, magnum ex industria eius fructum ad Academiam Erlangensem allatum esse, queriturque, quod nullo loco vacante nondum sibi esset copia deferendae ad eum professionis ordinariae.

Ita cum decem annos integros transegisset Erlangae nihilque publici praesidii ad vitam sustentandam adeptus summa tantum ac singulari industria effecerat, ut cum suis, si non laute, at honeste tamen posset vivere, converti tandem videbatur fortunae iniquitas resque eius in melius mutari. Offeruntur ei uno atque eodem fere tempore complures conditiones academicae: invitatur honorifice Heidelbergam, Vurceburgum, ut ordinariam professionem ibi adiret. Egregie tum eluxerunt propensa in eum discentium studia: accepto enim eo nuntio maior pars eorum, qui literis stu-



debant Erlangae, consilia inter se communicant, literas dant ad ipsum regem Borussiae potentissimum, quibus, ut ne privarentur praeceptore ipsis carissimo, ea, quae par est, modestia et verecundia rogant. Et sane, praeter ipsas viri virtutes, facile adducor, ut credam, eam quoque causam fuisse, cur paulo post spes ei data sit non dubia, fore, ut, si Erlangae maneret, brevi intervallo in ordinario professoris loco collocaretur. Eius promissi fides liberata est anno huius seculi quinto additumque literis regiis, brevi constitutum iri, quid stipendii cum eo loco coniunctum foret. Quid igitur mireris, cum iam tanquam ex longa molestaque navigatione visum sibi esse navigare in portu atque in suavissimae senectutis spe acquievisse, munitae illius contra inopiae vexationes, oblectatae bellissimo otii subsidio, auctae denique iucundissimo pabulo studii atque doctrinae.

Verum enimvero quasi non alia de causa ei arrisisset laetioris fortunae species, nisi ut gravius acerbisque doleret amissam, id ipsum tempus, quod iucundam curarum requiem visum erat allaturum, iniquissime omnes eius spes frustratum est et elusit. Secutum est paulo post bellum illud, quo non aliud incidit luctuosius nomini Borussico, profligatisque Borussorum opibus, obsessio a Gallis principatu Baruthino, nemo iam erat, qui implendi illius promissi curam ageret. Accessit etiam, ut eodem tempore prope deserta esset ab adolescentibus literarum studiosis Academia Erlangensis, et, cum per totam Europam aliud alio ferri miscerique ac mutari omnia viderentur, neglectae iacerent eae ipsae literae, in quibus plurimum studii posuerat, quo factum est, ut docendi quoque ac scribendi quaestus, quamvis exiguus, ereptus esset paene omnis. Nam ephemeridum quoque curam deposuerat vana illa spe deceptus. Inde quanta in eum iam irruerit malorum vis atque iniuria, facile est ad intelligendum. Sex amplius annos, quod spatium quam longum sit tali fortuna iactatis, vereor, ne ii tantum plane sentiant animis, qui ipsi experti sunt similia, plurimis et maximis acerbissimae inopiae incommodis conflictatus est vir senectutem iam ingrediens atque iis virtutibus insignis, ut longe alia sorte videretur dignus. Nihil habebat neque ipse, neque uxor, patrimonii reliqui, nihil publicae ad victum opis, quidquid redibat pecuniae et rarum et exiguum: at alenda erat uxor cum liberis, at prospiciendum non solum rebus ad victum cultumque necessariis, sed etiam iis, quae et ipsi et filiis opus erant ad colenda literarum studia: non mirum igitur, illum non semel eo redactum fuisse inopiae, ut omnino nesciret, qua ratione victum vel maxime necessarium in singulos dies pararet; ac profecto nisi suam opem interposuisset Deus T. O. M., ut interdum, unde minime sperari posset, nonnihil veniret auxiliū, quor-

sum haec evasura fuerint, nescio. Neque multum ei profuit, quod anno MDCCCIX magistratus gallici misericordia commoti ei annum octingenum florenorum stipendium decreverant: nam primum ita exhaustum erat aerarium academicum, ut nihil ad ipsum perveniret pecuniae, deinde cum post multos labores secunda fortuna usus esset principatus Baruthinus, ut vindicatus ab externo imperio ditionis Bavaricae fieret, ne ista quidem rerum laetissima commutatio valuit statim ad eum molestia levandum. Nam dum deliberandum proponit Senatus Academicus iis, qui rerum regimen tenebant, ratumne habendum sit illud stipendium a Gallis datum, deque ea re dum aut deliberatur, aut non deliberatur, duo praetereunt anni iique crescente, ut necesse erat, fortunae adversae iniuria, omnium infestissimi. Neque tamen tanta malorum moles avellere eum potuit a vetere literarum amore et cultu, sed fomenta dolorum quaerebat illarum commercio abstersumque videbatur quidquid erat molestiae, cum aut consuetudina studia recolebat, aut, id quod nullo fere die praetermisit, viam patefaciebat filiis ad veterum scriptorum intelligentiam.

Attulit tandem levamentum quoddam annus h. s. XII. Maximilianus enim Josephus, potentissimus et clementissimus rex, literarum idem fautor atque patronus longe benignissimus, ubi certior est factus, nihil propius fieri, quam ut ultima miseria oppressus succumberet in regno Bavariae ordinarius quidam professor academicus isque de literis optime meritus, qua erat animi humanitate et benignitate, confestim imperavit, ut, quidquid inde ab anno nono illi deberetur stipendii, id sine ulla mora persolveretur. Ita optimi regis beneficio lenita est ad tempus fortunae acerbitas datumque aliquod quasi respirandi intervallum. Sed cum non simul praestitutum esset, ut etiam in posterum simili beneficio publico iuaretur, rediit mox idem, qui ante fuerat, status mansitque ad annum h. s. XV., quo demum anno constitutum est, ut pariter ac ceteri Academiae professores statis singulorum mensium temporibus decretum ipsi stipendium acciperet. Agebat ille tum annum aetatis sexagesimum, praeterierant, ex quo professionem acceperat extraordinariam, anni viginti octo, ex quo ordinariam, decem, scholas academicas habuerat annos triginta quinque, in ipsa Friderico - Alexandrina viginti unum.

Tale ille habuit senectutis initium, talia ille ex assidua summaque industria, quam a puero in literis posuerat, cepit praemia! Neque vero quae iam sequebantur multo erant laetiora. Quanquam enim publico iam fruebatur stipendio, id tam exiguum erat, ut nequaquam sufficeret aut sarciendo damno domestico, aut impensae

literarum causa faciendae, aut denique lautiori vitae, quam ingravescens senectus postulabat. Una lenioris senectutis spes reponeretur in eo, ut vacante historiae cathedra eam cum largiore pecunia adipisceretur. Videbatur id suo iure repetiturus, qui viginti amplius annos continuos in Academia Erlangensi scholas habuisset historicas magno cum audientium fructu, qui et libris scriptis eruditionem historicam satis probasset, denique qui tot mala, dum professionem gerebat in eadem Academia, esset perpessus, ut etiam ideo aliis videretur praefendus. Sed ea quoque res longe aliter, ac sperarat, cecidit. Anno enim MDCCCXXI cum mortuo Meuselio, viro cl., vacuus esset ille locus, praeter ipsius plurimorumque expectationem nulla eius habita est ratio.

Tot casus acerbi, quanquam usu obduruerat et percalluerat adversus incommoda, gravius affecerunt senem, quam ut par esset tanto oneri ferendo. Itaque quam spem ante iure fovebamus, fore, ut ad summam senectutem aetate procederet, ea inde ab anno h. s. XXI magis magisque evanescebat: vehementer enim concussa erat corporis valetudo, saepe ille aegrotabat, viresque opinione celerius deficiebant. Versabatur tamen ad finem usque vitae eodem, quo antea, ardore in literarum studiis et habendis scholis, magnoque fruebatur solatio, quod non recedebat ab eius caritate iuventus studiosa, sed pristino studio ad disciplinam eius confluebat.

Ita cum vixisset ad annum MDCCCXXV exeunte mense Aprili eius anni gravioris casus indicia apparebant. Correptus est enim singultu crebro et atroci, qui per aliquot dies continuos eum vexavit, cumque id malum discussisset medici peritissimi sollertia, tanta vires fluxerunt lassitudine, ut per quatuor deinceps hebdomadas lecto haereret affixus moxque corpus adeo fractum haberet, ut praeter capitis et manuum sublatus esset omnis motus. Ipse tamen nihil dolorum, nihil gravioris mali sentire, putare, se corporis quadam infirmitate teneri, quae mox esset abitura, multum de scholis instaurandis, de libris scribendis loqui. Et contigit ei singulari beneficio divino, ut, quae vitae pars multis cum calamitatibus affligerat, eius plane non reminisceretur ac praesentioris haberet prioris temporis memoriam. Inter haec integrum retinebat animi vigorem: legebat, delectabatur sermonibus, iocos saepe hilariter miscebat cum iis, qui eum circumstarent, ridebat corporis imbecillitatem. Tres amplius hebdomadas ita cubarat, cum pedum alvique tumores indies crescentes denuntiarunt imminentem mortem, quae XXX m. Maii die consecuta est. Eo die cum sub vesperum sermones contulisset cum praesentibus magna, ut solebat,

animi alacritate, somno oppressus est leni et placido. Circiter mediam noctem audit eum filius natu maximus, qui excubias agebat, altius ducere spiritum; occurrit propere, sed iam ille animam exspiraverat transieratque ad laetiores conditionem omnibus vitae huius incommodis perfunctus.

Haec nobis vitam viri optimi narrantibus sese obtulerunt memoratu digna. Non potuimus, quin praeter iucundas res laetasque commemorare multa, quae vitam eius infestarent tristissima et iniquissima, gratissimumque nobis est, quod iam multo laetior aperitur campus, cum de ingenio viri multis doctrinis instructo, cum de eximiis in literas meritis, cum de animo dicendum sit omnium honestarum rerum amantissimo, omnium pravaram contemptore.

Iam ingenio quam ille valuerit excellenti, ex iis, quae adhuc prodita sunt, satis patere existimamus. Inprimis memoriae vis erat ingens tamque ad arripienda, quae vellet, velox, quam firmissima ad custodienda, quae accepisset. Adde studii ardorem singularem, ut, quidquid obiectum esset impediti, id parvi putaret, facile vinceret. Itaque videres illum saepe menses integros domo non exire, bene mane surgere, a coena statim ad literas reverti, operi diurno lucubrationes addere, ut mirum videretur omnibus, qui fieret, ut in tanta virium contentione valetudine integra uteretur.

Sed egregium habebat huius industriae fructum accuratam illam et multiplicem doctrinam, qua maxime excellebat. Et geographiae quidem quanta in eo fuerit scientia, non inter nostrates solum homines, sed inter externos quoque, quibus et ipsis scribendo egregie eum profuisse supra ostendimus, satis constat, neque vereor, ne a vero aberrem, si in Germania vix unum et alterum inter aequales fuisse affirmem, qui ea scientia illum aequaverit. Valuit autem eius doctrina insigniter ad literarum incrementum: nam quae Büschingius inchoavit, ea suis libris ita persecutus est, ut multa uberius ab illo tractata, maxime quae historici essent generis, silentio transiret, multa adderet, quae viderentur necessaria, ac primus de omnibus orbis partibus accuratissime exponeret. Praeterea et scholis geographicis primus inter Germanos optime providit, et maiorem Germaniae partem ita illustravit, ut ne minima quidem eius curam fugerent, et omnino plurimis libris id genus scriptis tot errores depulit longe lateque diffusos, tamque multa, quae iacerent incognita, in lucem protraxit, ut, qui post eum in iisdem literis versarentur, munitam tritamque, quam ingrederentur, invenirent viam.

Verum cum arctissimo societatis vinculo inter se copularentur geographia et rerum historia, ut altera alterius auxilio destituta manca quodammodo atque inchoata

sit, illius doctrinae fundamentis constitutam habebat omnis historiae cognitionem, non illam, qualem multi iactant leviter et primoribus labris hinc illinc delibatam, sed exquisitam et reconditam, quam nisi multis sudoribus et vigiliis non consequaris. Eam quoque scriptis libris utilissimis ad publicam notitiam prodidit. Nam, ut alia omittam, Halae cum esset, bis correctam et locupletatam edidit Zoppii historiam universalem itemque patris ephemeridas historicas, Erlangae autem uno libro complexus est quasi orbem disciplinarum historicarum, quem librum ut artificiosum divisionibus neque singularum partium descriptione satis aequabilem, ita ad utilitatem fructuosissimum esse ait peritissimus et ingeniosissimus harum rerum existimator, Chr. Dan. Beckius *). Et reliquit multa ex eo genere affecta, quibus extremam manum non accessisse valde est, quod doleas.

Neque vero harum disciplinarum terminis circumscribatur eius doctrina, qui suas esse partes duceret providere diligenter, ut ne quid in ullo literarum genere novum prodiret et insigne, quod suam cognitionem falleret. Denique tantam tamque egregiam eruditionem ornabat multarum linguarum non vulgaris facultas: veteres scriptores legerat plerosque omnes, atque ita, ut, quidquid ad geographiam pertineret, id exciperet sedulo, recentiores linguas europaeas fere omnes ita certe callebat, ut quemvis librum iis linguis scriptum facili negotio legeret.

Docendi genus grave erat et accuratum, sed idem nonnunquam facetiis conditum, ut appareret in illo, quod Ciceroni placet, bona dicta tenere sapientem non posse. Erat autem is, qui tum scholis diligentissime habendis, tum etiam iucundissimae consuetudinis fructu erudiret adolescentium animos, quos alliciebat tenebatque ut singulari humanitate, ita sermonum copia, suavitate, doctrina: quo factum est, ut multi adolescentes eum fere quotidie adirent, eo uterentur monitore, studiorum adiutore, rectore, multi, etiam cum ab Academia discesserant, crebris literis eum salutantes gratissimi animi sensa aperirent. Quem autem his, eundem se praebebat omnibus, quicumque aliquo necessitudinis vinculo eum attingebant. In uxorem etiam senex tanta erat pietate, ut multis admirabilis videretur mollis ille affectus et tenerrimi amoris plena comitas viderentque eius vita ac moribus, quicumque se iactant coniugii obtrectatores, refutatam egregie opinionis suae levitatem. Fratrem ut amarit amore vere fraterno, testati sunt nobis et multi eius sermones, et

*) V. librum ab illo viro cl. scriptum: *Anleitung zur genaueren Kenntniss der allgemeinen Welt- und Völkergeschichte*. Ed. II. T. I. p. 24.

crebrae, quas ad eum dedit, literae dulcissimum amorem spirantes, et vero gravis et acerbus, quo ex eius obitu adfectus est, dolor. Filiis talem se praestitit, ut non possent, quin carissimum haberent ut unica pietate parentem, vererentur ut vitae studiorumque moderatorem eundemque recte vivendi sanctissimum exemplum, consulerent, si quid dubium esset, ut amicum familiaritate coniunctum. Amicitias ut facile iungebat, qui de quovis homine in optimam partem sentire soleret, ita retinebat diligenter amore, fide, integritate, officiis. Cumque, ut ait Cicero, in omnibus novis coniunctionibus intersit, qualis primus aditus sit et qua commendatione quasi amicitiae fores aperiantur, natus aptusque videbatur ad amicitias comparandas. Quis enim cum illo congressus est, quem non devinxit sermonis affabilitate eaque hilaritate, quam ipsa vis temporum non potuit eripere omnem, et naturali quadam simplicitate et comitate, in qua nihil fucati inesse facile cerneret? Erat idem et bonus civis patriaeque amantissimus, neque ullum locum praetermisit transfundendi eum amorem in animos adolescentium, quam pietatem eo magis est, quod in illo suspicias, quo magis apud plerosque homines patriae caritatem non ex eius praestantia, sed ex ipsorum utilitatibus, fluere videmus.

His virtutibus veluti cumulus accedebat vitae morumque sanctitas, qualis ex animo ad pietatem in Deum crecto solet emanare. Quidquid acciderat, ad Deum referebat auctorem, neque aliter fieri potuit, ut tantam illam sustineret tam diu malorum molem. Sacra publica saepe adibat, neque unquam domum rediit, quin iucunde et suaviter concionis sacrae, quam audiisset, meminere: preces domesticas nullo die omisit effecitque, id quod verae in Deum pietatis est, ut, quanquam urgentis fati inscius, bene tamen composito ad mortem animo ex ista rerum humanarum turba et colluvione discederet.

Talem vitam habuit, talis fuit Jo. Ern. Fabri, quem virum anno proximo superiore abstulit his terris fati iniquitas, non abstulit memoriae uxoris, cui per triginta octo annos et praesidio fuit et ornamento, filiorum, qui, quidquid hominibus ab homine aliquo venire potest praeclarum ac singulare, id illi referunt acceptum, propinquorum, quibus parente orbatis parentis affectum reddidit, amicorum, qui in eius caritate acquieverunt, discipulorum, qui animi virtutes non minus aemulati sunt, quam doctrinam, denique orbis literati, qui ex eius ingenio studiisque incrementa cepit laetissima.

Sed veremur, ne diutius, quam par fuit, detinuerit nos pietas in recolenda viri de nobis optime meriti memoria. In quo si fuimus longiores, non est tamen, quod bonis viris nimium nos excusemus. Nam qui nihil humani a se putent alienum, iis quid at-
tineat demonstrare, beneficia meminisse, quam sit humanum; eorum auctores laudare, quam dulce. Neque alia magis subest causa, quare diem huius mensis XXIII. festum atque sollennem esset velit Civitas nostra, quam gratæ recordationis vel pietas, vel dulcedo. Illo enim die ante hos trecentos annos sapientissimo consilio aperuerunt hunc ludum Civitatis Norimbergensis patres, aperuerunt autem auspice eo viro, cuius laudem ut adhuc non exstinxit posteritatis oblivio, ita ad sempiternam memoriam temporis divina ipsius et immortalia merita propagabunt, præceptorem dico Germaniæ, Philippum Melanchthonem. Ipse ille vir, qua re haud iniuria gloriatur Aegidianum nostrum, ipse, tot tantarum rerum curis distentus, non dubitavit venire, ut fundamenta poneret huius scholæ, quæ ab illo inde tempore trium saeculorum spatio ea bona sparsit ac disseminavit, quibus neque maius quidquam, neque præstabilius hominum generi est datum. Quid igitur? Num fas est, tertium annum saecularem ingredi, quin Deo gratias agamus T. O. M., qui tanti beneficii participem esse voluerit Civitatem nostram, quin eorum meminimus hominum, quorum præcipuae in hac schola et instituenda et ornanda fuerint partes, quin vota nuncupemus pro eius incolumitate et incremento? Talis socordia cum alienissima sit ab iis, quibus commissa est Gymnasii nostri cura, ex eorum auctoritate præclaro illo die haec sollennia instituentur: Circiter nonam horam matutinam sollennis pompa eorum, qui ad id ipsum in Curiam convenerunt, deducetur in templum Aegidianum, ubi pia animorum nostrorum sensa concione sacra exprimet D. G. J. F. Seidel, templi illius antistes primus. Deinde in vestibulo Gymnasii statua Melanchthonis memoriae nuper posita integumento, quo operta erat, liberabitur, quem actum oratione celebrabit J. F. Binder, prior Civitatis huius Consul. Tum reducta in Curiam pompa duo Gymnasii Collegae, C. L. Roth, Rector, et D. Chr. C. Balbach, Professor, orationes sollennes habebunt, alter latinam, alter germanicam. Singulis autem actibus præmittentur et subiicientur concentus musici.

His igitur sollennibus ut frequentia sua decus afferant atque ornamentum omnes, quotquot habet haec Civitas, Proceres ceterique literarum Fautores, ea, qua par est, observantia etiam atque etiam rogamus.

Norimbergae, d. XX. Maii MDCCCXXVI.

Ga 4349

40

ULB Halle
075 163 636



111



Ga 43 49.

40

ULB Halle
005 382 866

3



vi





Oa 214.4

TERTIA SAECULARIA

GYMNASII

BERGENSIS

COLLE

GINE

D. ERNES

FABRI,

MEMORIA IOANNIS

GENSI P. P. O.

T Y P

